

4

O R A T I O
I N L A V D E M
G R A E C A E L I N G V A E P V -
B L I C E R E C I T A T A I N C E L E B R I
A C A D E M I A R E G I O M O N T A N A , N O N O D I E S E -
p t e m b r i s A n n o s a l u t i s 1 5 6 8 . d e d i c a t a p r u d e n t i s s i -
m i s a c g r a u i s s i m i s u i r i s D o m i n i s C o n s u l i b u s a c
S e n a t o r i b u s R e g i a e U r b i s E l b i n g a e ,
p a t r o n i s l i t e r a r u m s t u -
d i o s i s s i m i s .

A u t h o r e
M . G R E G O R I O C R O G E R O
M e s y l e o M a r c h i c o .

R e g i o m o n t i B o r u s s i a e i n O f f i c i n a I o h a n n i s
D a u b m a n n i , A n n o 1 5 6 8 .

S. P. D.

September nouies Phœbi numerauerat ortus
 Carpere quem medio uidit in axe uiam.
 Hoc in doctifica prælustri palladis arce,
 Quam tumidus uitreis Bregela stringit aquis,
 Cum solito iussus celebris pro more Lycæi
 Dicebam laudes sermo pelagæ tuas.
 Cunctis es reliquis inter dulcissima linguas,
 Quas longe superas utilitate tua.
 Namq; genus ueluti gremio complexus es omne
 Disciplinarum quicquid in orbe uiget.
 Quæ feci cupiunt reuerendi noscere patres,
 In laudes numeris uerba soluta tuas.
 Ite leues elegi Graia præconia lingua
 Ad pietate graues munera ferte uiros,
 Elbingæ qui nunc urbis moderantur habenas
 Iustitiæ sceptro, legibus, arte, fide.
 Ite leues elegi nostros portate labores,
 Mercedis nam plus istud habebit iter,
 Ingenuas illi pectus coluere per artes,
 Ingenuo gaudent unde labore frui.
 Pluribus eq; sacro Musis Helycone uocatis
 Aptæ satis cupide testæ parare student.
 Nam quod doctrinæ precium contemnere sœuit,
 Iudicio uulgi grandius esse putant.
 Impetus hic utinam seros perduret in annos
 Conatusq; pios CHRISTVS Apollo iuuat.
 In tantas igitur seruandi surgere curas
 Ordinis Aoni cum uideatis eos:
 Ite leues elegi iussos offerte libellos
 Gratus erit doctis patribus iste labor.
 Vester addictissimus
 M. Gregorius Crogerus Mesyleus.

ORATIO IN LAUDEM GRÆCÆ LIN-

GVÆ RECITATA IN ACADEMIA

Regiomontana 9. die Mensis Septembris

Anno 1568.

INGENVE fateor, amplissimi ac doctissimi uiri,
 uosq; cæteri auditores adolescentes humanissimi, si un-
 quā aliās hoc tempore me parum idoneū esse, ut in hoc ue-
 stro ornatissimo cōfessu de re graui uerba faciam. Nam
 hæc dicendi exercitia, quæ in his subsellijs fieri solent,
 postulant in dicente animum uacuum omni perturbatio-
 ne & molestijs. Quod enim Naso de suo studiorum
 genere asseuerat inquiens, carmina proueniunt animo
 deducta sereno, idem ego non ad alias solum liberales
 disciplinas refero, uerum etiam ad omnes res & actio-
 nes in tota humana uita necessarias, in quibus nihil re-
 cte cogitari, nedum dici aut fieri potest ab ijs, qui in
 aliqua ægritudine & miserijs uersantur, ut uere d
 Theognide dicitur.

καὶ γὰρ ἂν τις περὶ ἀδύνατον οὐκ ἐπιπρὶν

οὐτ' ἔρξαι δ' αὐτῶν γλῶσσαι δὲ διδόνται. Cæterū hæc iniussa

A 2

πρὸς

L. i. : 400955

ὡς non linguam modo ligare solet, ut animi sensa &
 cogitata minus commode promens ad aliorum notitiam
 perferat, sed etiam mentem, cuius lingua tantum est
 quādam ministra, ita suis uinculis constrictam tenere
 consuevit, ut in rebus utilibus & necessarijs perpensi-
 tandis minime suo fungi possit officio. Iam uero ego, ut
 ex intimo pectoris sensu loquar, meorum temporum ua-
 rietate & uicissitudine ita sum conuulsus, ita animus
 meus plurimarum calamitatum concursu labefactatus
 cecidit, ut hactenus pristinam æquitatem ad utiles &
 salutare res percogitandas necessariā minime recupe-
 rare potuerit, ut uere de me conqueri possim his uerbis
 Ὀδυσσεὺς quæ extant in 5. Ὀδυσσεῶς.

τῆς σφύρας ἐν στήθεσσι μέγιστον μᾶλα πεινέει θυμὸν
 ἵδν γὰρ μᾶλα πόλιν ἐπαυρὸν ἢ πόλιν ἐμύγησα.

Quamobrem cum hoc meo alienissimo tempore, quod
 hanc ingenij imbecillitatem, quam natura mihi circum-
 dedit, etiam sollicitudines domesticæ augment, publi-
 ca huius Scholæ consuetudo mihi imponat necessita-
 tem ex hoc loco recitandi Græcæ linguæ laudes, uere-
 or ne squalida & languida mea oratione elegantissimæ
 uestræ aures offendantur. Nam cum antea ex his sub-
 sellijs de eadem re grauissimos uiros grauiter copiose

&

& eleganter differere audiuiſtis, metuo ne in hac ea-
 dem causa à laudatissimis uiris toties laudabiliter per-
 orata, à me ut nouo hospite, nouam etiam sitis oratio-
 nem requisituri, ut τὰ κοινὰ κοινῶς dicam, à qua facultate,
 quæ singularis est, si quisquam alius ego longissime ab-
 sum in his & ingenij & temporum meorum angustijs.
 Nam est peculiare quiddam proprium singularis inge-
 nij tanta de re doctissimorum hominum literis & ser-
 monibus celebratissima nouum quiddam dicere aut scri-
 bere. Ego tamen si quæ antea de hac lingua ex hoc lo-
 co recitari audiſtis, aut alicubi literarum monumen-
 tis consignata reperisſis, eadem non prorsus fatue &
 stolide dixerō, arbitror in hac dicendi Prouincia me
 ea præstitisse, quæ à mediocri ingenio expectari solent.
 Nam si Isocrates eum ualde plausibilem & elegantem
 esse prædicat, qui quæ in aliorum libris sparsa sunt col-
 ligere & splendide eloqui possit, sic enim inquit ad Ni-
 coclem ἀλλ' ἐγὼ δὲ τῶτον εἶναι χαρίεστον, ὅς ὅτε δι' ἀπαγγελίας
 ἐν ταῖς ἑξ' ἡμέραις διατίους ἀποῖσαι καὶ τὰ πλεῖστα δυνάμει ἡγῆσαι
 κάλλιστα περὶ αὐτῶν, nemo uestrum mihi uitio aut probro
 dabit, si quæ aliorum oratione & scriptis usur-
 pata sunt, eadem non prorsus insipienter & stupide
 recitauerō, imo firmissime spero, cum non aliqua am-

A 3 bitione

bitione & ingenij fiducia, sed officio adductus, has
dicendi partes uestra autoritate mihi tributas amplis-
simi uiri susceperim, uos pro ea æquitate, qua antea
alios longe me cultiores in hoc loco dicentes audire con-
sueuistis, mihi etiam facile ueniam daturus esse, si in hac
animi mei perturbatione doctissimis uestris auribus
mea oratio non satisfecerit. Prius quàm autem ostendam
quam utile & necessarium sit huius uberrimæ lingue
studium, quantum in ea sit lucis, quantum uenustatis, ele-
gantiae & neruorum ad omnes reliquas doctrinas re-
ctius cognoscendas & percipiendas, puto me operæ
precium facturum esse, si pauca quædam in initio de
eius dignitate commemorauero. Nihil autem dignius
& honorificentius de ea prædicari potest, quam si re-
feratur ad eum, qui est caput, fons & origo omnium
utilium artium atq; linguarum, hoc est, ad Deum ipsum,
quem propterea ueteres Poetæ sub nomine Iouis pa-
trem Musarum, Musas uero διὸς κρητὰς appellant, ut
significant, quicquid est lucis, quicquid intelligentiæ,
& uirium in humano ingenio, id totum à Deo effluxisse
& generi humano communicatum esse. Is enim radi-
os æternæ suæ lucis & sapientiæ sparsit in humanas
mentes,

mentes, quos Plato in Philebo uocat igniculos illos,
quos Ioui sublato prometheus ad homines transtu-
lisse fingitur, hoc est, Deus impressit humanis animis
quasdam communes notitias, quæ eos regerent in inue-
stigandis ueris sententijs de Deo, de rerum natura, de
moribus & totius uitæ gubernatione. Deinde inclu-
sit hominibus in ore linguam, ut uoces in uerba distin-
guens efficeret orationem, quæ ueras sententias animis
nostris comprehensus alijs recte, ordine & perspi-
cue exponeret, unde apud ueteres sermoni tribuuntur
honorificæ appellationes. Nam Plato in Theæt:
uocat eum ἄγγελος τῆς νοήματος, id est, animi nuncium: Iso-
crates nominat eum ducem omnium rerum & doctrin-
arum, sic inquit ad Nicoclem, καὶ τῶν ἔργων καὶ τῶν
διανοημάτων ἀπάντων ἡγεμὼν ὁ λόγος ἐστίν. Cicero appellat
eum mentis interpretem, primo de legibus. In uulgari
proverbio nuncupatur κοινὸς ἐρμῆς, quod homines inter
se omnes res necessarias sermone communicent. Nam
quemadmodum lingua est uocis articulata, hoc est, for-
mandæ orationis instrumentum, ita oratio est inter-
pres omnium utilium rerum & doctrinarum in templis,
scholis, domo, senatu, foro, iudicijs, quæ quidem omnia,
quæ

quæ de sermone commemorantur, sunt satis quidem honorifica, Sed ea in genere de sermone prædicantur. Nam is non est uniformis sed multiplex & uarius. Quemadmodum enim orbis terrarum in diuersas nationes & populos distributus est, ita quoque sermo in uariis linguarum seu idiomatum species diuiditur, inter quas Græca lingua optimo suo merito primum sibi locum uendicat. Nam cum ea cæteris linguis longe sit elegantior & copiosior, uoluit etiam Deus eam solam inter omnes alias esse nunciam & interpretem diuinæ suæ mentis & uoluntatis, in exponenda & diuulganda noui testamenti doctrina, quam ipse filius Dei ex arcano æterni sui patris sinu protulit, in qua nobis annunciantur & offeruntur cœlestia & perpetuo durantia bona, remissio peccatorum, donatio Spiritus sancti, iustitia & uita æterna. Nam cum Iudei diuinam gratiam abiēcissent, & iam doctrina Euangelij per totum terrarum orbem spargi & diuulgari deberet, tantos cœlestis suæ doctrinæ thesauros Deus nulli alij nisi Græcæ linguæ credere maluit, eam toti trinitati placuit communem illum esse Mercurium & interpretem, in Euangelio explicando & propagando inter omnes

omnes gentes per totam Asiam & Europam, quæ tunc temporis & lingua & natio Græca longe lateque complexa fuerat. Quod quidem singulari Dei consilio factum esse arbitror, propter duas causas potissimum, primum cum hac lingua nihil esset mollius & uenustius, quod plus haberet suauitatis & illecebrarum ad hominum animos alliciendos & permulcendos, uoluit eam Deus etiam esse Euangelicæ doctrinæ nuncium & interpretem inter omnes alios populos & nationes, ut eius elegantia & illecebris homines inuitarentur ad inenarrabiles noui testamenti thesauros agnoscendos atque expetendos. Nam cum animus habitet in auribus, ut inquit Herodotus in Polyhymnia, nulla lingua suauiore & molliore sono ad animos demulcendos humanis auribus influere potest. Deinde cum antea quicquid erat in toto mundo utilium artium, quidquid eruditionis & elegantioris doctrinæ id totum huius lingue literis proditum & conscriptum extaret, uoluit Deus etiam huius suæ cœlestis doctrinæ thesauros per eandem linguam generi humano communicare, ut significaret inter omnia beneficia, quæ antea per hanc linguam à Deo homines acceperant, nullum esse comparandum

B

parandum cum hoc postremo beneficio. Nihil autem
magnificentius & præclarius de Græca lingua pro=
pemodum dici aut cogitari potest, quam eam in mundo
ante natum Christum tot seculis inter alias linguas &
populos fuisse communem quasi magistram omnium uti=
lium artium atq; doctrinarum, sed longe est laudabilius
& honorificentius postremo eam etiam fuisse nunciam
& interpretem diuinæ sententiæ & uoluntatis in an=
nunciando & exponendo sacrosancto Euangelio re=
onunium præstantissima, in qua æterna totius humani
generis salus & beatitudo posita est. Si Imperatoris,
aut magni alicuius Regis interpretæ, in graui causa
missus, quæ multorum populorum & ciuitatum salutem
continet, plurimi fieri solet, quanti debemus facere
hanc diuini sermonis nunciam & ministram, quæ do=
ctrinam Filij Dei de remissione peccatorum & æter=
na iustitia incorruptam alijs linguis per Asiam & Eu=
ropam impetuit, & non uni nationi, sed toti mundo of=
fert incomparabiles coelestium bonorum thesauros.
Hæc pauca è multis de dignitate huius nobilissimæ lin=
guæ me dixisse sufficiat. Nam tanta est eius præstan=
tia, ut nec animus, nec oratio mea eam satis capere po=
tuerit,

tuerit, nunc paucis commemorabo, quantum lucis, emo=
lumentis & utilitatis omnibus disciplinis seu doctrinis
conferat. Nam hoc est extra controuersiam rerum
doctrinas sine sermone & linguis nullo modo tradi nec
percipi posse, perpetuo enim & indissolubili quodam
fœdere hæ duæ res inter se copulatæ sunt, puritas lin=
guarum & puritas doctrinarum. Nam linguarum seu
sermonis puritate amissa, necesse est simul etiam extin=
gui & tolli lucem atq; intellectum omnium rerum
& doctrinarum, quod abunde ostendit superiorum
temporum barbaries, quæ una cum prodigioso &
perplexo sermone tantum caliginis & confusionum in
omnes doctrinas inuexit, ut in ijs repurgandis doctissi=
mi quicq; per multos annos non minus operæ & laboris
consumpserint, quam Hercules in isto Augiæ stabulo
repurgando, postq; uero ante quinquaginta annos lin=
guarum studia rursus florere & excoli ceperunt, si=
muletiam renata est purior lux doctrinæ Euangelicæ
& aliarum artium. Vnde Plato in Phædro nominat
sermonem seminarium doctrinæ. Nam ut ea omnia quæ
terra nascuntur, si semen est impurum & uitiosum,
maligne proueniunt, degenerant messes & plantæ, ita

B z etiam

etiam si sermo est impurus & corruptus, necesse est
vitio sermonis etiam deprauari & obscurari ipsas do-
ctrinas. Quapropter cum in puro & perspicuo sermo-
ne tantum facultatis & emolumenti possum sit ad puri-
tatem doctrinarum conseruandam, omnes diligentiae
nostrae artus excutiamus, ut nobis ex ijs linguis, quas
industria & ingenium doctissimorum hominum exco-
luit, purum & perspicuum sermonem comparemus,
ut postea eius adminiculo ex puris doctrinis firmam
consequamur eruditionem. Inter cultiores uero lin-
guas, Graeca principatum obinet. Nam cum uerba
sint notae rerum, Graeca autem lingua caeteris sit longe
elegantior & felicius in nouorum uerborum compo-
sitione, nemini est obscurum in ea lingua etiam elegan-
tius & uberius res ipsas tractari, quam in omnibus
alijs linguis. quam ob causam omnes ueteres Scripto-
res in tractandis rebus hanc linguam adhibuerunt, adeo
ut in ea tanquam in clara luce omnes doctrinas memo-
riae posteritatis prodiderint. Quamobrem sine Graeci
sermonis peritia in nulla doctrina firmam poterimus
assequi eruditionem, quod ut paulo latius explicem
primum dicam de caelesti doctrina, quae omnium reli-
quarum

quarum est praestantissima, quam Deus in nouo testa-
mento generi humano per filium suum reuelauit, in qua
scitis proponi historiam integram incarnationis, mira-
culorum, concionum, doctrinae, adeoque totius curriculi
passionis, mortis, & gloriose resurrectionis seruatoris
nostri Filij Dei Iesu Christi, item scitis in ea con-
tineri doctrinas grauissimas, plenas consolationis, sa-
lutares & necessarias toti generi humano, de uera poe-
nitentia, fide, bonis operibus, uera agnitione & inuo-
catione filij Dei, de uero officio & sacerdotio exhi-
biti Messiae, de redemptione generis humani, donati-
one Spiritus sancti, nouae & aeternae uitae & iustitiae
quibus de rebus ut homines mutuo se docerent, uoluit
Deus tot esse consociationes humanorum coetuum in fa-
milijs, domibus, pagis, uicis, urbibus templis & Scho-
lis, quae de re uere diuinus Poeta Stigelius hos aureos
uersiculos nobis reliquit.

Post ubi senserunt, se semina ducere caelo
Atque aliquem, mundum qui regat, esse Deum,
Tunc primum amplexi iuncti consortia coetus
Tegmina uicinis composuere casis,
B 3 Vif

Vtq; alios alij de religione docerent

Contiguas pietas iussit habere domos.

Sed de ijs tantis, tam salutaribus & necessarijs rebus alter alterum non potest docere nisi intelligat Græci sermonis genus, in quo hæ tantæ res nobis proponuntur. Nam ut sermo est communis ille Mercurius & interpres omnium doctrinarum, ita uoces ex quibus sermo componitur, sunt characteres atq; indices quibus res in sermone tanquam in perspicuo aliquo lumine ostenduntur atq; repræsentantur, quapropter ignorato sermone, necesse est ignorari res ipsas tam quodq; parit nouit, nemo docere potest, ut inquit Poeta.

Quamobrem ut in exponenda doctrina noui testamenti uerum sensum atq; intellectum assequamur, opus erit nobis Græci sermonis cognitione, eam autem consequemur, si magna intentione & diligentia in bonis autoribus obseruabimus totum Græcæ orationis genus, uerba, phrasas, figuras, allusiones, emphases & uocabulorum significationes, ex quibus omnibus explicatio lumen accipit, quod si non fecerimus nostra expositio erit monstrosa & perplexa plena caliginis, errorum & confusionis, ut licet uidere in prodigiosis istis scriptoribus

ribus græcæ linguæ ignaris in Mammetrecto, Catholico, Hostor, Bricot, Scoto, Toma, quibus Bibliothecæ & nobiorum in pluribus locis repletæ sunt. Contra quantum lucis & perspicuitatis ex Græco sermone probe intellecto accedat doctrinæ Apostolicæ exponendæ abunde ostendit, Vetrinica illa expositio phrasium & uocum noui testamenti tota aurea & elegans, quam inscripsit Hypommimata. Equidem cū intelligam doctrinam Ecclesiæ nihil aliud esse nisi perpetuam quandam Grammaticam diuini sermonis, existimo in illa simplici & Grammatica uocabulorum & phrasium enarratione plus inesse perspicuitatis, doctrinæ atq; eruditionis quam in longis multorum commentarijs, comparauit autem sibi iste uir in omni iudicio & sermone elegantissimus hanc in eo genere felicitatem Græcorum autorum assidua lectione & consuetudine. Quid? quod etiam sacræ literæ hanc assiduitatem & diligentiam in discendis linguis nobis præcipiant? Paulus enim iubet nos ὀρθοτομεῖν λόγον θεῶν i. recte secare sermonem diuinum est autem uerbum ὀρθοτομεῖν uox metaphorica sumpta ex ueteri sacrificiorum ritu, & significat recte, perspicue & ordine explicare, definire & par-

tiri

tiri omnia cœlestis doctrinæ membra. Hoc autem in nouo testamento nemo facere poterit, sine Græcæ lingue intellectu & cognitione. Ergo cum Paulus præcipit, ut recte secemus sermonem diuinum, simul etiam a nobis postulat diligentiam & assiduitatem in discenda Græca lingua, sine qua in nouo testamento nihil recte definiri, & explicari poterit. Huc accedit mandatum Christi iubentis nos scrutari scripturas, hoc est, inuestigare & inquirere ueras sententias de Deo, de diuina essentia & uoluntate, quam Deus in libris Prophetis & Apostolicis reuelauit. Iam hoc nemo præstare poterit nisi probe intelligat genus orationis quo Prophetæ & Apostoli usi sunt, Cum itaq; Christus iubeat, ut scrutemur scripturas, simul etiam nobis imponit necessitatem discendi, linguas utrasq; Græcam atq; Ebræam, ex quibus conflatus est sermo Propheticus & Apostolicus. Hæ enim duæ lingue sunt illæ fasciæ in quibus ueritas cœlestis Philosophiæ de Deo, de Filio Dei & ipsius beneficijs inuoluta est, eam oportet nos puro & perspicuo sermone, tanquam proprio instrumento euoluere & alijs communicare. Dixi iterum pauca ex multis, nec aliter in hoc genere facere

cere potui, ut aliquo modo ostenderem linguam Græcam necessariam & utilem esse Ecclesiæ ad doctrinam cœlestem dextre & feliciter tractandam, reliqua quæ in hac parte orationis dicenda erant uos pro eximia uestra eruditione melius poteritis existimare quam ego dicere. Nunc eadem breuitate commemorabo, quantum potestatis & uirium habeat Græca lingua in alijs doctrinis percipiendis, quæ amplissimo Philosophiæ nomine continentur, quæ diuiditur in has præcipuas partes, prima gubernat sermonem & compræhendit artes dicendi & quæ his coniuncta sunt poësim oratoriam & historicam. Iam quæ & quanta in hac parte Philosophiæ scriptores Græci singuli in suo genere præstiterint, mihi sane impossibile est commemorare, cum ea ne cogitatione quidem assequar, tantum abest ut ea aliquo oratorio splendore amplificem & augeam, hoc tamen inter omnes eruditos constat, quicquid est elegantie & uenustatis in Romano sermone, id totum deberi Græcæ literaturæ, quæ ut longe est uetustior ita etiam longe est splendidior & uberior quàm latinus sermo, quem omnium primus Cicero ingenij sui lumine illustrauit & locupletauit. Is uero tanquam uiua exempla

plaria semper sibi ob oculos & animum propositos habuit præstantissimos Græcos Oratores, Platonem, Demosthenem, Isocratem, quorum imaginem in suis scriptis representare & exprimere studuit, in quibus Demosthenica & Platonica uestigia passim apparent. Plato in Timeo inquit τῆς φιλοσοφίας γένεσις μέζον ἀγαθόν οὐκ ἴσθι οὐδ' ἴξα ποτὶ τῷ δυνάτῳ γένει δέξασθαι ἐκ δεξιῶν. Cicero de uniuersitate sic hanc sententiam expresseit. Nullum bonum Philosophia optabilius, nullum præstantius neque datum est mortalium generi Deorum consensu neque dabitur unquam. Plato in 6. de legibus ἄνθρωπος ὃς φανερὸν ὁμῶς μὲν παιδείας δέξασθαι τυχόν καὶ φύσεως εὐτυχῆς δεύτατον ἐμπερότατον τε ζωὴν γίνεσθαι φιλεῖ, μὴ ἰκανῶς δὲ ἢ μὴ καλῶς τραφεῖν ἐγγύς ταυτοῦ δόξα φησὶ ὅτι. Cicero cum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quædam atque conformatio doctrinæ, tum illud nescio quid præclarum ac singulare solet existere, sin autem non contingat homini foelix institutio omnium bestiarum immanitatem superat. Et ipsemet Cicero in secundo ad Atti. epist. I. Fatetur se expressisse Demosthenem in Philippicis. Cum igitur tantus Orator qui est parens latinæ linguæ flosculos uerborum & sententiarum ex Græcis scriptoribus decerpserit ad Romanum sermonem locupletandum,

nemo

nemo non uidet, si Græca lingua ei illos flosculos non suppeditasset, eius orationem non tantum neruorum & lucis habituram fuisse.

Quod uero ad poesim attinet ut reliquos latinos Poetas breuitatis causa silentio præteream, unus Virgilius sufficiat, in cuius poemate omnes miramur illam singularem maiestatem, sapientiam, æconomiam, nitorem copiam & uarietatem orationis ligatæ, sed is totum suum poema composuit ad imitationem & similitudinem Græcorum Poetarum. Nam in Bucolicis conatus est exprimere leporem & gratiam rustici carminis, quod Sicelides illæ Musæ Theocriti primæ inuenerunt, deinde in Georgicis imitatur Hesiodum, in conscribendis uero libris Aeneidum hunc scopum sibi propositum habuit, ut in ijs effingeret similitudinem & imaginem quandam Homericæ Poematis omnium elegantissimi & sapientissimi. Proinde Aldus Manutius uir mirificæ industriæ & diligentiae in obseruatione antiquioris & elegantioris literaturæ, nuper per totum opus Virgilianum notauit in singulis fere paginis similia loca ex Græcis Poetis deprompta. Iam inter uiuum exemplar seu archetypum, & eius effigiem semper aliquid est

C z discre-

discrepantiæ & dissimilitudinis. Nam etiamsi imagines aliæ alijs propius adiuua exemplaria accedunt, tamen in ipso archetypo omnia sunt illustriora, expressiora & euidentiora. Quapropter quantum uenustatis, quantum ubertatis & ornamentorum sit in Græcis Poetis, præsertim in Homero, ex uno Virgilio omnium Poetarum latinorum sapientissimo & elegantissimo facile æstimare possumus, qui eos in pangendo suo carmine secutus est, præcipue uero Homerum, qui uere est parens omnis eloquentiæ & eruditionis. Sicut affirmat Fabi. lib. 10. Instit. orator, inquit eum omnibus eloquentiæ partibus ortum & exemplum dedisse, quod adeo uerum esse nemo nostrum negare poterit, ut etiam ipsa antiquitas propter diuinam & inimitabilem eloquentiam cum pro Deo habuerit, unde hi uersiculi de eo circumferuntur.

Si Deus est diuinus honor tribuatur Homero,

Sed si non Deus est, Deus hic tamen esse putetur.

Sed hæc non sunt huius loci nec temporis.

In historijs uero de Græca lingua hoc ausim asserere, eam uelut commune quoddam promptuarium nobis suppeditare omnes omnium temporum & imperiorum historias

historias. Etsi uero Liuius inter Latinos est uberri-
mus Historiographus, tamen is unius tantum gentis
historiam peritexuit, reliqui fere sunt mutili. At
Græci omnium fere gentium & populorum res gestas
comprehenderunt optimo ordine. Nam cum adhuc
nullus latinus scriptor esset, Græci cæperunt scribere
historias prorsus inchoantes ab eo ipso articulo, in quo
Prophetæ desierunt, quorum in ordine primus omni-
um est Herodotus, quem propterea Cicero patrem
Historiæ appellat, hunc sequitur Thucydides, Thu-
cydidem Xenophon, & sic deinceps. Quare si non ex-
tarent Græcorum libri Historici, non haberemus
perpetuas rerum gestarum Historias, nam aliquot se-
culorum res gestæ intercidissent, nisi earum memori-
am Deus singulari consilio & bonitate nobis per hanc
linguam conseruasset. Sed ut apertius ostendam quid iu-
rium & potestatis Græcus sermo in narrationibus ha-
beat addam locum ex Luciano qui lib. 1. de eo quo-
modo Historias scribere oporteat, sic inquit, *καὶ
ταῖς ἁπλῶς ἰσορῶν συγγραφήν δὲ οὐκ αὐτὰ κορυφαῖα
ὁμοῦ ἔχοντα ἕκαστον εἰς τὴν πολιτικὴν καὶ δαίμων ἐμνηστικὴν*
in quo loco requirit duas facultates in bono Historio-
grapho, unam uocat *εἰς τὴν πολιτικὴν* id est, sapientiam

politicam in rerum gestarum causis & consilijs perco-
 gitandis, alteram uocat *Δωμῶν ἐξυμνητικὴ*, id est, facul-
 tatem exponendi, ut *Historiographus* consilia, cau-
 sas, euentus, res gestas ordine & perspicue recitet.
Utræq; autem uirtutes longe expressiores & illustri-
 ores in *Græcis* quam in *Latinis Historiographis* fu-
 erunt. Nam quemadmodum hæ duæ nationes moribus
 & ingenijs discreparunt, ita quoq; magna est dissimili-
 tudo inter eorū *historiographos* et alios scriptores. So-
 lemus tinnitu explorare ollis utrū aliquid uitij habeant,
 ita quoq; ex sermone probamus ingenia & mores homi-
 num. Vnde *Democritus* apud *Laertium* appellat ora-
 tionem *ἑιδωλὸν τῆς βίης*, id est, simulachrum humanæ ui-
 tæ, quod in oratione tanquam in aliquo speculo reluceat
 imago pectoris & ingenij humani, igitur qualia sunt in-
 genia & mores hominum, talis etiam eorum est oratio.
 Cum itaq; *populus Romanus* semper fuerit asperior et
 horridior, potentia & armorū cupidior quā *literarū*,
 habet etiā *historicos* duriores qui in recitandis prælijs,
 uictorijs, triumphis sunt multo longiores quam in nar-
 randis causis & consilijs præliorum. At natio *Græ-*
 ea etsi fuit belliculosa, tamen semper fuit studiosior &

amantior

amantior humanitatis, sapientia & *literarum* quam
 belli & armorum, ergo etiam habet molliores *Histo-*
riographos, qui occupationes sunt in commemorandis
 causis & consilijs quam in narrandis uastationibus &
 prælijs. Etsi uero magna laus est ordine & perspicue
 res gestas exponere, tamen longe maioris est sapientia
 & ingenij perspicere rerum gestarum consilia & cau-
 sas, quo in genere mirifici fuerunt artifices, *Thucy-*
dides & *Polybius*, tamē in utroq; excellit *Herodotus*
 cuius tanta est sapientia in narrandis consilijs, ut nulla
 humana uox existimetur ea suauius narrare potuisse,
 adeo ut uetustas finxerit ore *Herodoti Musas* ipsas lo-
 cutas fuisse, unde etiam *Musarum* appellationes ipsi
 libris inscriptæ sunt, qua de re uenustissimum hoc *disti-*
chon extat.

*Ἡρόδοτος ὁ μῦθος ὑποδείκνυται τῶν ἀρχαίων
 ἀντὶ φιλοξενίας βίβλων ἑδωκέναι μὲν.*

Quamobrem cum in illa difficiliore sed præstantiore
 facultate adeo *Græci* excelluerint, ut longissimo
 interuallo post se reliquerint omnes *latinos Historio-*
graphos, nemo non uidet quantum ubertatis & lucis,
 quantum neruorum & sapientia *Græcus sermo* habeat
 in scribendis *Historijs*.

Etsi

Etsi uero apud latinos quique doctissimi plurimum opera & laboris sumpserunt in uertendis Græcis historijs, poetis & oratoribus, quorum quidem in re honesta operam atque industriam magnopere probo & laudo, quia mihi & alijs imbecillioribus & rudioribus magno fuerunt auxilio in legendis græcis scriptoribus, tamen iucundum est inspicere fontes, in quibus omnia sunt uberiora & elegantiora. Nam latina oratio longe est horridior, ut ostendi, ad illam Græci sermonis uenustatem & elegantiam representandam, Deinde magna est paupertas in latino sermone, de qua Quintilianus & Erasmus conqueruntur, ut non possit Græci sermonis copiam & ubertatem assequi & implere. Quamobrem per eiusmodi uersiones quicquid in Græca lingua est copiae & uenustatis id totum perit, præterea mulier figuræ, emphases, & allusiones uocum transfusæ in latinum sermonem enescunt. Esto sane ut satis commodæ sint uersiones quæ Græcorum scriptorum sententias exprimant, tamen unaquæque lingua habet propriam suauitatem & naturam quam ἡρώς appellant, ea in aliena lingua non potest ita perfecte exprimi quin nihil desideretur. Scimus omnes quanta copia & maiestas sit in
tomis

tomis Lutheri uernaculo sermone scriptis, eam tamen illi qui bono consilio tomos in latinum sermonem translulerunt nullo modo assequi & æquare potuerunt, multo minus hoc fieri potest in Græco sermone, qui centies milies plus uenustatis habet, quam hæc nostra uernacula lingua. Non igitur prorsus nitamur istis uersionibus, quod est ignauorum, qui in discendo molestias subterfugiunt, sed potius suauissimo scriptorum Græcorum colloquio & consuetudine sine interprete fruamur, sed hoc ut facere possimus in Græco sermone discendo omnes industriæ & diligentiae nostræ neruos intendamus & experiamur. Etsi temporis angustia non permittit me de artibus dicendi aliqua uerba facere, tamen non omissenda est mentio dialecticæ Aristotelicæ propter quendam hominem ingeniosissimum, qui nuper publicato scripto, non ueretur eam impugnare atque reprehendere contra tot seculorum consensum, qui hunc preciosissimum doctrinæ Aristotelicæ thesaurum magna diligentia in scholis asseruatum in nostra usque tempora propagauit, quo autem consilio & iudicio homo acutissimus hoc faciat, plane ignoro. Ego uero sic existimo, si non extaret Aristotelis dialectica, nec illum nec alios quidquam
D inco

in eo genere scribere posse. Nam Aristoteles omnium primus uberrimam huius pulcherrimæ artis πηγήν seu fontem irrigantem omnes alias disciplinas nobis aperuit, quod sane præstitit ostendenda cauiā & methodo, quam ipse τὸ διότι appellat, id est, monstrandis causis & fontibus omnium præceptionum & conclusionum, ex quibus hæc tota ars conficitur, ad quam rem exequendam mutuatus est à Geometris præcipua eius artis membra, χίματα figurarum, ἔργα, ἀνὰ μέσον, medios terminos, conuersiones propositionum, Abecedaria exempla propositionum & syllogismorum, ἀνάλογα & id genus alia, quæ omnia debentur Aristoteli. Quamobrem nemo poterit intelligere originem, uim & rationem huius artis, nisi consulat fontem id est, Aristotelem, quem se consuluisse & in sua dialectica scribenda secutum fuisse ingenue fatetur felicis memoriæ cōmunis nostrum omnium præceptor Melanchton, quo hic mundus post Aristotelem præstantiorem dialecticum non habuit, nec aliter facere poterat. Scire enim est res per causas cognoscere, ergo qui rerum causas non perspicit nec res ipsas, sed tantum umbras rerum cernere potest. Ideoque nos omnes ad fontes Aristotelicos inspiciendos sedulo & magnopere

pere hortari solebat, eos autem sine Græcæ linguæ luce & intellectu nemo perspicere potest, quamobrem ut eos utiliter consulamus, necessaria nobis est Græci sermonis cognitio.

Nunc accedo ad alteram partem Philosophiæ, quæ est de natura & rebus occultis. Ea uero continet uberrimas & suauissimas doctrinas, quarum una gubernat uarios uocū concentus & harmonias: Altera discernit & explicat numeros & figuras. Hæc metitur corporum coelestium spacia & distantias, obseruat eorum positus, seriem, progressum, motum, ortus, occasus, coniunctiones, oppositiones, aspectus, deliquia Solis & Lunæ. Illa metitur terram et distinguit & circumscribit eam certis interuallis & limitibus: Alia considerat coelestium motuum effectiones, i. temporum uices & alias mutationes in hoc inferiori mundo: Alia inuestigat singularum rerum uires & naturas, inquit metalla, gemmas, herbas, plantas & monstrat salutaria remedia ad tuendam humanorum corporum ualitudinem. Sed hæ tantæ doctrinæ utiles & necessariae toti generi humano in Græca lingua natæ & enutritæ sunt, inde eas nos petere oportet. Nam hæc lingua aluit & educavit Eu-

D z clidem

elidem, Ptolomæum, Aristotelem, Galenum & Hippocratem quorum libris hæ tantæ doctrinæ subtilissime explicantur. Cum uero hæ artes adeo sint ingeniosæ & subtiles, ut latinus sermo sit longe crassior quam ut habeat idonea & apta uocabula ad eorum solertiam & subtilitatem exprimendam, ita ut etiam in foelicissimis uersionibus necessario Græcæ appellationes retinendæ sint, nemo non uidet quantum lucis, sapientiæ & neruorum sit in Græco sermone ad has subtiles doctrinas exponendas & dextre tradendas, quapropter ut harum pulcherrimarum artium aliquam notitiam adipiscamur, prebeamus nos eorum nutrici, id est, Græcæ linguæ erudiendos, illa nos quasi manu deducet ad harum doctrinarum fontes, ut non opus sit eas petere & haurire ex turbidis & impurissimis uersionum riuulis.

Adeunda est etiam tertia pars Philosophiæ quæ gubernat mores & uitam humanam, ea uero est omnium præstantissima, quia intendit digitum ad summum bonum, quod finem hominis appellamus. Sed in ea nihil eruditius & sapientius scriptum inuenio ijs libris quas Aristoteles Nicomacho inscripsit. Nam in ijs

inquit

inquit causas & fontes omnium uirtutum & civilium officiorum. Etsi uero in hoc genere extant libri Ciceroniani satis luculenter scripti, tamen in Aristotele omnia sunt pleniora & etiam certiora quam in Cicerone qui in plerisque amplectitur Stoicorum somnia, & in Academicis affirmat omnia esse *ἀνταρδιὰ* id est nullam esse certam & stabilem rerum cognitionem & scientiam, quo nihil absurdius dici aut cogitari potest. Sed Aristoteles inquit ueritatē et *ἀποδείξεις*, quæ minime fallere possunt. Ad hanc itaque partem Philosophiæ melius cognoscendam plurimum nobis proderit horum librorum lectio & consuetudo, Sed sine Græci sermonis intellectu nemo cum fructu aliquo eas legere poterit.

Quamobrem cum nulla doctrina in ulla parte Philosophiæ reperiatur quæ sine Græcæ linguæ notitia & adminiculo recte percipi & intelligi possit, non pigeat nos laboris & molestiarum, si quæ in ea discenda suscipiendæ & perferendæ fuerint. Fateor sane eam habere aliquantum difficultatis propter uarietatem coniugationum, contractiones, dialectus & tonorum

D 3 rum

rum collocationes, sed ita natura comparatum est, ut
quo quæq; res est præclarius eo etiam sit difficilior.
Nam quemadmodum dii posuerunt sudorem ante uir=
tutem, ut inquit Hesiodus, ita quoq; laborem & mole=
stias discendi oportet præcedere utilium rerum &
linguarum cognitionem πρὸ πάντων πόνων πολλῶν ἰμὴρ τ' ἀγῶνα
ἐν σοὶ. inquit Epicharmus quem uersiculum ita reddidit
Stigelius.

*Dij bona solerti uendunt sperata labore
In uita est homini deside nulla salus.*

Quod si hæc lingua prorsus difficultate careret,
quæ nullo labore indigeret, dicerem eam non esse di=
gnam, quam expeteremus, quia nihil haberet præstan=
tiæ & pulchritudinis in qua difficultas inesse solet.
Sunt autem in nulla re tantæ difficultates, quæ non di=
ligentia & assiduitate superari possint. Si credimus
Menandro dicenti πάντα γὰρ τοῖς ἐν λέξει κατὰ πονεῖται
πράγματα, id est, Nulla res tanta est, quam uon assidu=
um studium & diligentia efficiat, alibi inquit in eandem
sententiam, ἅλωτα γίγνεται ἐπιμελῆς καὶ πόνος ἅπαντα, id est,
Omnia possunt expugnari diligentia & labore, scri=
bitur

bitur Mithridates Rex ponti didicisse 22. linguas,
quod ego fere miraculosum esse iudico. Sed is tot lin=
guarum notitiam & facultatem sine aliquo labore non
est assecutus, quantumuis foelicis memoriæ fuerit.
Quapropter o Adolescentes, si in discenda hac una
lingua præstiteritis mediocrem diligentiam & assidui=
tatem bonis ingenijs dignam non dubito superata omni
difficultate aliquando uos ad uberrimos uestræ diligen=
tiæ & industriæ fructus atq; uoluptates peruasuros
esse, quæ omnem laboris & molestiarum sensum extin=
guent & prorsus oblitterabunt. Nihil enim tum uobis
erit iucundius & suauius quam in Græco sermone tan=
quam in clarissimo aliquo lumine perspicere doctrina=
rum fontes & causas, nec minus dulce & gratum fu=
turum est cum ipsis Græcis scriptoribus sine aliquo
interprete colloqui, eorumq; colloquijs & commertio
perflui in lingua omnium suauissima & uenustissima.
Quam facultatem si nacti fueritis, hoc ausim affirma=
re uos eam non esse commutatueros cum omnibus Cræsi=
diuitijs, nisi quis ita fuerit seruii & prorsus stupido
ingenio, ut nullius honestæ uoluptatis sensu afficiatur,
Memini paucis ante annis morem fuisse Lubecæ, Re=
ualicæ

ualia & in alijs magnis emporijs, ut diuitum mercatorum filij mitterentur ad Moscos, quibus post Turcos nihil est crudelius & alienius ab omni humanitate, ut discerent barbaram istam impurissimorum hominum linguam, nullam aliam ob causam, nisi ut postea in negotiatione & mercatura eorum colloquijs & commercio sine aliquo interprete uerentur & fruercntur, quanto magis decet nos qui literarum studia colimus aliquantum operæ & laboris ponere in discendo Græco sermone, quo post sacra Biblia nihil est nenustius, eruditius & elegantius, ut in ea non solum cum sapientissimis Græcis scriptoribus Herodoto, Homero, Aristotele, Ptolomæo sed multo magis cum diuo Paulo & alijs Apostolis in nouo testamento de uera fide in Christum, resurrectione mortuorum, æterna uita & iustitia sine aliquo interprete uerba permutare & quasi uiuas audire & reddere uoces possimus. Oro itaq; æternum Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut hanc paruam Sareptam & Academiolam, quæ hactenus fuit operosa omnium linguarum & doctrinarum officina, imo sedula nutrix & fidelissima custos conseruet, protegat, defendat & tueatur, contra omnium diabo-

diabolorum furores qui in hac ultima mundi senectâ moriuntur extremum interitum & perniciem omnibus bonis literis & artibus, ut ijs deletis pristina efficiantur in scholis barbariem & uastitatem & nos in æternas impellant & abripiant tenebras. Deinde oro eundem Deum ut imbecillem illustrissimi nostri Principis ualeitudinem fulciat, confirmet & monstrat ei uestigia pijsimi sui patris quo hic orbis terrarum nullo unquam tempore habiturus est φιλοσοφία τῶν πρῶν nutritium Ecclesie & constantiorem patronum omnium bonarum artium atq; literarum, quibus hæc domicilium posuit & consecrauit, cuius tanti beneficii memoriam omnes gratissimis animis perpetuo conseruemus.

DIXI.

INTIMATIO.

Nemo ignorat linguarum usum latissime patere in omni genere doctrinarum, quæ sine linguis nec tradi nec percipi possunt. Nam propterea Deus hominibus includit in ore linguam & attribuit eis sermonem, ut is esset commune quasi instrumentum tradendi & accipiendi doctrinas utiles & necessarias toti generi humano

E

de

de Deo, de natura rerum, de uita & moribus. Unde apud Platonem, Isocratem & alios sermoni tribuuntur honorificæ appellationes. Sermo autem est multiplex, distributus in uarias linguas, inter quas tres tantum seruiunt doctrinarum officinæ, Ebræa, Græca atq; latina. Sed Ebræa parum aut nihil habet commercij cum Disciplinis Philosophicis, sed tantum nata est ad explicandas doctrinas, quæ in sacris Biblijs continentur, reliquæ duæ sunt communiores & φιλοσοφικαῖαι totum omnium artium systema comprehendentes. Harum trium linguarum conseruatio & propagatio proprie pertinet ad Academijs, quæ sunt quasi officinæ aut potius nutrices omnium doctrinarum, quæ in ipsis docentur atq; discuntur. Quamobrem qui præsent scholis debent omnes industriæ & diligentia suæ artus intendere atq; excudere, ut has linguas puras & incorruptas conseruent. Nam harum luce & puritate amissa, necesse est simul etiam amitti & extinguere lucem & intellectum omnium artium atq; doctrinarum, quod olim factum est in Tomistarum & Scotistarum scholis, qui extincto linguarum lumine excogitarunt nouum dicendigenus, cudentes horribilia uocabulorum parientia non solum à latino sermone, sed etiam ab ipso aurium sensu & compro-

comprobatione prorsus abhorrentia, qualia sunt, anti-gerio, hostire, Guardia cluere, Bricot, placitatio, & alia id genus uerborum monstra, unde orta est magna omnium doctrinarum caligo & confusio, quibus rerum tenebris animaduersis olim in Viennensi concilio publico quidem, sed grauissimo & salutari consilio decretum atq; statutum est, ut trium linguarum professores in Parisiensi & alijs Academijs alerentur, ut habetur in 2. Clementina, nullam aliam ob causam, nisi ut earum puritatem in scholis conseruarent. Etsi uero non ignoro Ludouicum Viuem uirum magni iudicij & ingenij dixisse de ijs, qui neglectis rebus in procudenda lingua omnem operam consumerent, eos tamen pulsare fores Philosophiæ, sed in domum Philosophiæ non intrare, quod quidem sapienter & uere dictum esse accipio de ijs, qui uix primis labris gustato Græco sermone non longius ad rerum doctrinam progrediuntur, sed falsam magnæ eruditionis persuasionem induunt, quales hoc tempore multi reperiuntur Græculi aut graculi potius qui nihil minus quam uim & potestatem Græcæ linguæ intelligunt. Nihilominus tamen linguarum cognitio est ipsa clauis, qua fores Philosophiæ aperiuntur, qua amissa foris quidem aspicimus illam pulcherri-

nam Philosophiæ domum, omnium doctrinarum orna-
mentis instructissimam, sed in eam non poterimus ingre-
di, hoc est, non poterimus amissa linguarum cognitione
& intellectu perspicere causas & fontes doctrinarum,
quibus ignoratis tantum umbras rerum, res ipsas nun-
quam cernemus & assequemur, & hoc est domum Phi-
losophiæ foris aspicere. Inter eas autem linguas Græ-
ca in suo genere est omnium uenustissima & sapien-
tissima, in qua, quotquot sunt doctrinæ Philosophicæ,
quæ in scholis Romano sermone traduntur, natæ &
alitæ sunt. De ea igitur, cum mihi publicus Academia-
rum mos dicendi necessitatem imponat cras hora 12. ex-
usitato loco uerba facturum sum. Quamobrem humanis-
sime rogo, oroq; Professores & Scholasticos huius
Academiæ, ut ad orationis meæ recitationem conue-
niant, & hoc officio erga hospitem dicturum suam be-
nevolentiam significant, & simul declarent se fovere
linguarum studiis polliceor uobis pro eo officio &
meo & literarum nomine perpetuam meam obseruan-
tiam, memoriam & gratitudinem. Valete felicissime,
die octauo Mensis Septembris, Anno salutis 1568.

Gregorius Crogerus Mesylæus

Iu. Proby: M.

















